



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

162. An consanguinei usque ad quartum gradum teneantur testificari
vigore Edictorum. Si non sint alij, qui denunciare valeant? Et an nomine
consanguineorum complectatur coniux ipsa? Et an hoc ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et an hoc intelligatur tam in causis criminalibus, quam in civilibus?

Et an filius spiritualis vi monitorij teneatur detegere patrem spirituale?

Et quid, si casus sint pertinentes ad Tribunal sanctæ Inquisitionis?

Et explanatur, qui sunt dicti privilegiati. Ex part. 5. tract. 13. Misc. 1. Ref. 67.

* Quæ hic est Ref. antecedens, & in Ref. seq.

§. 1. C. Alus est frequentissimus, & in 3. part. tr. 5. *resol. 63.* pro negativa sententia adduxi Pereiram, quem novissimè, me citato, citat & sequitur Theophilus Raynaudus de monitorijs, part. 1. cap. 3. q. 20. & *quest. 14.* ubi docet, quod neque pater filium, neque maritus, uxorem, aut e contrario nec frater fratrem, aut sororem tenetur detegere vi monitorij. Id tamen intelligo de patre & fratre secundum carnem. Nam filium spirituale teneri vi monitorij detegere patrem spirituale, contra Franciscum Curtium lib. de testib. concl. 30. docet & rectè, Navarr. repetit. in c. inter verba, conclus. 6. corollar. 66. num. 412. & Farinac. tr. de testib. q. 54. n. 194. & cum multis Barbosa de potestate Episcopi allegat. 96. num. 55. An quoad alios cognatos præter prædictos sit eadem à monitorio immunitas, etiam si à consensu non detegantur, ambigunt aliqui. Sed placet quod statuunt Angelus, & Sylvest. ver. familia, & cum aliis Avila 2. part. c. 5. disp. 5. dub. 2. idem pronunciandum esse de socero & genero, de quæ cognatis omnibus intra quartum gradum. Ita enim necesse est asserere, ut vitentur dissensiones & odia in cognatos, quorum jurgia tam noxia sunt Rebus publicis, tamque terram mephitim inhalant quoties interveniunt. Absque dubio autem intervenire jurgia & odia, si cognatus intra prædictos gradus adversus cognatum ageret testem, aut denunciatores. Quare ad id non urgentur lato in quovis consensu monitorio. Neque est adhibenda temperatio non necessaria, quam huic resolutioni apponunt Naldus ver. revelare, num. 8. & Bonacina tr. 6. ex variis p. 1. §. 3. n. 5. nimirum quod hi quoque sint ad detegendum cognatum obligandi monitorio, si detegere possint sine gravi damno. Voco hanc limitationem non necessariam eamque ideo rejicio, quia ratio adducta demonstrat non posse à tali revelatione abesse grave damnum personæ conjunctæ detegentis. Eodemque modo rejicitur limitatio alia quam adhibent nonnulli rejecti ab Avila 2. p. c. 5. disp. 5. dub. 1. concl. 1. nimirum quod cognati à denunciandis cognatis tantum excusentur in criminali causa, non autem in civili. Verum ratio proposita urget universaliter, ex eaque ritè perpena effici insuper videtur id ipsum, quod de cognato vi monitorij non detegendo, dictum est, dicendum similiter esse de amico conjunctissimo, & de benefactore planè insigni, quorum detectio graviter exasperaret, & feritatem, vel non levem ingratitudinem redoleret. Et hæc omnia docet Raynaudus loco citato, satis quidem probabiliter; quicquid etiam probabiliter in contrarium asserat Grassius in decis. p. 1. lib. 4. c. 8. n. 32. & alij, seclusis tamen casibus pertinentibus ad Tribunal sanctæ Inquisitionis, de quibus ego alibi, & me citato, *ibid.* Raynaudus.

Alibi ex doctrina ref. seq. & signat in ref. ejus ult. not. & etiam secundum.

RESOL. CLXII.

An consanguinei usque ad quartum gradum teneantur testificari vigore Edictorum, si non sint alij, qui denunciare valeant?

Et an nomine consanguineorum complectatur, conjux ipsi?

Et an intelligatur tam in criminalibus, quam in civilibus?

Et quid non solum in causa hæresis sed etiam in aliis delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquisitionis? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Refol. 10.

§. 1. C. Alus passim occurrit, & pro negativa sententia * alibi aliquos adduxi. Scio quendam Religiosum, nescio an Theologum, vel Theologum stum contra me obmurmurasse; sed immerito quidem: nam dicta sententia est satis probabilis, & illam novissimè tueretur Baunius in Theol. nov. p. 2. disp. 4. tr. 3. q. 10. ubi sic asserit. Ea quorum est consensu revelare non tenetur, qui de jure nequit ad testificandum adigi. Vgolinus proxime citatus, Barb. de offic. Episc. alleg. 96. n. 52. ac consanguinei usque ad quartum gradum inclusivè ad testificandum contra gentiles laicos, ac consanguineos produci nequeunt. Avila 2. p. c. 5. disp. 5. dub. 2. concl. 1. Guttierrez lib. canonice questionum, c. 11. n. 55. nisi in casu hæresis, cò quod hæc in detrimendum commune vergat; læsæ insuper Malesitæ ac blasphemie in Deum, cujus rei est hæc causa, quod Deo honos, ac gloria, Regique ac Regni incolumitas parentum ac propinquorum reverentia præferri debeant. Consanguineorum autem nomine intelliguntur parentes, & alij ascendentes, socer, gener, vitricus, privignus, fratres, & uxorum filij, & reliqui intra 4. gradum: itaque licet isti sciant, quod aliquis cognatus retinet scripturas, vel facit furtum & tamen non vult patere, non tenentur denunciare. Avila proxime citatus, ejus rei causam reddit duplicem primam, quod amicitia fœdera inter cognatos sancta esse fit, & quæ oporteat, dissolui autem ea sit necesse per revelationem admissorum ab iis criminum. Alteram quod filio nocere pater denunciando ejus crimen nequeat, nisi & sibi obstit, & quidem non vulgariter; facit enim naturæ communio, sanguinisque, quæ inter utrumque intercedit, communia utriusque ut sint mala, lædique unus sine alio nequeat.

2. Secundo, complectitur etiam consanguineorum nomen, conjugem ipsam, Barb. sup. n. 59. Nav. in Casu nem. inter verba, concl. 6. pro qua sententia Lizzius de monitione, sect. 3. q. 11. & de blasphemias, 11. n. 67. Menochius de arb. caus. 248. quia vir & uxor censentur una caro: at nemo se judicii dedere, nemo se ei occidendum tenetur tradere: ergo nec vir suam conjugem accusare.

3. Quid si præter eos non sunt ulli, qui denunciare valeant?

Montalvus lib. 2. legum fori, titulo 8. lib. 9. Capella Tholosana in decis. q. 3. Sanchez in conf. lib. 6. c. 11. dub. 18. n. 9. Imbertus in praxi fori, lib. 1. c. 41. docet, cum defuncti, qui denunciant, aut testentur, privilegiati, id est consanguineos omnes, uxoremque ad eum in virum produci posse, & vice versa. Regulariter inquit Nav. 25. Summa n. 48. privilegiati possunt cogi ad testificandum in defectum aliorum testium, etiam maritus contra uxorem; & e contrario, quæ etiam opinio Ausferrij in q. 3. Capella. Thol. §. tunc enim, nisi forte utrumque uxor gereret, prægnansque esset, Baldus in Limiti, ff. de testib. nam cum tunc ad jurandum cogi nequeat, secundum Ausferrij loco proxime citato nec in testem vocari potest, cum hanc obire provinciam non alij queant, ac debeant, quam jurati.

4. In opposita sunt opinione Gregor. Lopez p. 3. tit. 16. lib. 11. & Stephanus Avila loco citato, quam quia probabilem, tutamque censo, existimo privilegiatos cujusmodi consensu esse omnes consanguineos, edictis Episcoporum non comprehendi nec proinde excommunicationem incurrere; si quæ de crimine, aut re, cujus gratia promulgata sunt monitoria, non responderint.

5. Ratio est, quod contra jus commune non possint iudices inferiores aliquid statuere; ergo cum hæ-

beant à jure communis, id est, naturali, con sanguinei ut sanguine sibi vinctos, denunciare non debeant, ad id ab Episcopo, aut quodlibet alio iudice Ecclesiastico cogi nequeunt Sylv. in verbo, correctio, q. 7. quod et si in causis criminalibus dumtaxat valere velit, etiam in civilibus admittendum puto, quia cum illi sibi invicem agnatione cohaereant & sanguine, ut contra se dicere ita nec contra cognatos debent; vniuersè enim loquuntur Navarr. c. 25. n. 27. & Avila, loco antè cit. nec ad criminalia eorum privilegium revocant, ac contrahunt. Huculque Pater Baunius; ex quo apparet, ut dixi, sententiam negativam satis probabilem esse, & praxi multum deservire. Et hanc sententiam novissime tenet etiam doctus Escobar, tract. de confess. sollicitant. c. 2. q. 2. §. 3. n. 40. ubi firmat, con sanguineos & affines vltq; ad quartum gradum non teneri denunciare etiam si veritas aliter haberi non possit. Nota tamen hanc opinionem minimè admittendam esse, non solum in casu hæresis, sed etiam in aliis delictis pertinentibus ad nostrum Tribunal Sancti Officii.

RESOL. CLXIII.

An non revelantes ex vi monitorij teneantur restituere damna inde sequuta? ut v. g. qui tenetur denunciare furtum non solum incurrit excommunicationem, sed insuper tenetur restituere damnificato?

Et antequam vocatus à iudice ad testificandum, intimato præcepto, si fugiat, teneatur restituere damna inde sequuta? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 68.

§. 1. **A**lius passim accidit, & affirmativè respondet Avila de conf. part. 2. c. 5. disp. 4. dub. 3. concl. 8. ubi sic ait. Qui cum tenetur denunciare furem non denunciat, non solum incurrit excommunicationem, sed insuper tenetur restituere damnificato. Ita ille: qui citat Navarr. & Soru, quibus adde Aragonium in 2. 2. q. 70. art. 1. & Carbonium, §. 1. de resit. & hanc sententiam docent etiam Doctores, asserentes testè vocatum à iudice ad testificandum, intimato præcepto, teneri ad restitutionem si fugiat. Ita Turrianus, 2. disp. 5. 2. dub. vnic. n. 1. Valencia, tom. 3. disp. 5. q. 14. puncti. 1. & alij.

2. Non desinam tamen hic adnotare (attendas quæso amice Lector) negativam sententiam docere novissimè Theophilum Raynaudum, de monitorijs, part. 1. c. 3. q. 14. ubi fatetur affirmativam sententià esse communem; non potest tamen diffiteri oppositam, tamen minore authorum numero subnixam, esse admodum verisimilem, quia scilicet negatur jus esse parti post interpositum Superioris præceptum, ut consilij rem aperiant. Debent quidem consilij parere præcepto; idque nō faciunt, & obedientiam Superiori debitam violabunt, & peccabunt in charitatem parti exhibendam. Nullum verò est caput, ex quo prodatur eam culpam esse contra iustitiam, quæ est totus & vnicus fons obligationis restituendi. Ita Molin. tr. 2. de iust. disp. 8. §. de resit. & disp. 70. n. 4. Lessius, lib. de iust. c. 13. n. 76. & cap. 30. n. 59. tamen vacillat saltem in specie n. 60. Quod autem inter obnoxios restitutioni in vulgaris versiculis numerari soleat non manifestans, ex quo Sayrus, loc. cit. intulit, apud omnes certum esse testem iustum testificari, nec parentem, esse injustam causam damnorum silentium consequentium, & ad eorum restitutionem teneri, non gravatè eliditur. Nominè quippe non manifestantis in illis versiculis intelligendus est is dumtaxat, qui ex officio suo ac munere tenebatur impedire damnum, quod scivit accidere, cum posset aperiendo alicui id impedire. Quia ergo hæc sententia, quæ testem iustum testificari solum contra obedientiam & charitatem peccato inquinat,

est admodum verisimilis, non ausim damnare eos, qui ad monitorij interpellationem tacentes nulli restitutioni obnoxios faciunt, quamvis damna aliqua inde sequantur parti: non modò si ante promulgatum monitorium consilij de ejus futura promulgatione se subducant, (in quo eventu rectè Valent. quæst. illa 14. part. 1. & Torres, disp. 5. 2. cit. n. 4. contra Soru, negant esse obligationem quicquam restituendi, quemadmodum qui se subducit præsciis se iubendum agere tutorem, solum obedientiam erga Magistratum non servat exequitè, & charitatem pupillo debitam violat, nihil tamen tenetur restituere;) sed etiam si lato jam monitorio conticescant. Hæc vltique Raynaudus.

RESOL. CLXIV.

An ex vi monitorij quis teneatur revelare furtum domesticum factum à filio familias?

Et quid de famulis, vel aliis sociis furti filiorum? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 69.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Naldus, in summa, verb. excomm. n. 8. & verb. filius num. 3. ubi sic ait: Filio familias furante vna cum socio bona paterna, si excommunicatione feratur contra non revelantes, cum verisimile sit patrem nolle filium excommunicatione ligari, ipse quidem erit immunis ab ea, non sic autem socius prædictus, in quo non militat eadem ratio, quæ in filio. Ita ille, ubi citat Vgolinum.

2. Sed hanc sententiam refellit Raynaudus, de monitorijs, part. 1. c. 3. q. 14. nisi aliunde constet mentem patris, qui monitorium impetravit, velle, ut filij si rei sint, manifestentur, quod pro negotij qualitate, & circumstantiis prudenter dijudicandum est, cum verba nihil peculiare expriment quoad istos sicut censentur exprimere, si adhiberetur clausula, nullo excepto, aut nemine dempto, qua significaretur voluntatem partis, atque adeo etiam iudicis esse, ut quicumque tandem reus sit, aperiat, alioqui enim personæ tam conjunctæ, non sunt ex obligatione detegendæ vi monitorij; sunt qui id extendant ad earum cõplices, v. g. ad famulos socios furti filiorum, ac similia. Nam quandoquidem is, qui monitorium impetravit, præsumitur noluisse filios, v. g. includi in monitorio, ut eorum complices detegantur, ne consequatur infamatio personarum, quas habet charissimas; existimo tamen censuisse obligationem monitorio injici ad hos complices personarum conjunctarum detegendos, quia hæc videtur esse mens patris, nec præsumpta ejus voluntas quo ad ipsas personas conjunctas, extendenda est ad earum complices, ac socios, quia etiam si ex complicitate detectione sit indirectè consequutura infamatio aliqua personarum conjunctarum, tamen id incertum est, fortassis enim non detegentur, & quidquid sit de infamatione, immunes erunt tam multis damnis excommunicationis. Hæc omnia Raynaudus.

3. Sed ut verum fatear, hoc vltimum non caret difficultate, nam eo ipso quod revelantur socij & complices, certum est moraliter detegendos esse filios. Ergo, &c. Ideo tu rogata.

RESOL. CLXV.

Quando quis virtute alicujus monitorij teneatur revelare scripturas?

Et tota doctrina hujus resolutionis est valde notanda pro circumstantiis, quæ in prædicto casu contingere possunt. Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 49. aliàs 48.

§. 1. Casus